



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Martyrivm S. Et Gloriosae Virginis Charitines: Ex eo quod est apud Metapbrasten. alia est Charitina, quæ Romæ passa est, cum Iustino, & Charitone, &c. Passæ est autem, de qua hic agimus, anno Domini ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

Victorini, & Flauia in templo Ioannis Baptistæ prius rite, vt potuit, emundato; reliquorum verò ibidem arena contextit: vbi præclara & admiranda beneficia, cæcis, claudis, paralyticis, alijsque morbis & calamitatibus oppressis, I E S V S Christus meritis sanctorum suorum in hodiernum vsque diem præstare non desinit.

Passus est autem beatissimus martyr anno ætatis suæ vigesimo sexto Iustiniani Imp. quinto decimo: qui fuit Christi Domini quingentesimus quadragesimus primus. Iuxta Baro. Tomo 7. hoc anno, 3. Nonas Octobris apud Messanam Siciliæ ciuitatem. Oblatus fuit à patre suo Tertullo patritio, anno ætatis suæ septimo S. Benedicto instituendus: Cum quo apud Sublacum annis habitauit quinque. In Cassinensi verò monasterio annis nouem. Indè missus in Siciliam cõdidit monasterium in patrimonio suo per annos quatuor: præfuitque eidem anno vno. Natus anno Domini quingentesimo quintodecimo: Primus omnium, in Ordine Benedictino, martyrio coronatus quadragesimo primo ac quingentesimo.

*S. Placidus  
protomartyr  
Ordinis Be-  
nedictini.*

**MARTYRIVM S. ET GLORIOSAE**

*\* Charitinae.*

*Vide C. Baron. Annal. Tom. 3. & Notat. in Martyr. Roman.*

*Virginis \* Charitinae: Ex eo quod est apud Metapbrasten. alia est Charitina, qua Roma passa est, cum Iustino, & Charitone, &c. Passa est autem, de qua hic agimus, anno Domini trecentesimo octauo, Marcelli Papæ 5. Constantini Imp. 3. sub Maximino in Oriente Imperante.*

GENE-

**G**ENEROSA virgo Charitina, cum impietas & Imperatorum furor Christianos ubique ad necem inquireret, in intimo cubili studio religionis ac pietatis dedita, à Comite quodam comprehensa fuit: statimque plagis varijs & ferreo nexu tenerrimo collo impostis Consulari Iudici iniustissimo tradita. Qui perspecta generosa eius animi virtute: Misere, inquit, tui antè quàm periculum facias suppliciorum, & dijs immortalibus sacrificata. Si feceris, sapienti vsa consilio, & deorum tibi potentiam reddes propitiam, & Imperatorum conciliabis beneuolentiam; & florentem iuuentutis tuę speciem multis magnifque honorum & diuitiarum præmijs exornandam, conseruabis illibatam.

His auditis, martyr, oculis insita pietate ad cælum erectis, formatoque Crucis signo in hæc verba respondit: Ego Christi Iesu gratiæ confisa, neque minis neque blanditijs tuis cedam vnquam. Non enim tu, quemadmodum speras, poteris promptum in me pro Christo patiendi emollire studium. Quin potiùs, si rectè tibi consultum velis, tu erroris tui poenitentiam cape, & execrabili inanium deorum cultu relicto, ad Christum accede. Iudex hoc virginis accepto responso, vehemèter incanduit: ac protinùs capillos eius superficie tenus radii iussit. Rasa verò virgo mox diuinitus comata apparuit. Tunc Iudex acriori stimulatus furore, prunas ardentes capiti imponi, acetum infundi, doloresque intendi quàm maximè præcepit. Ea verò supplicia sancta martyre per continuum orationis studium inuictò animo

per-

5. Octob.

*Comprehenditur virgo in cubili suo pietati vacans: & illic plagis afficitur.*

*Iudex eam blanditur.*

*Signat se Cruce: & respondit Iudici fidei.*

*Capilli ei auferuntur & diuinitus restituntur.*

*Acerbè cruciatur.*

*Mittitur in  
mare, & il-  
lesa egredi-  
tur.*

perferente, Iudex ferreos obeliscos igne can-  
dentes, vberibus eius infigi, & lampades late-  
ribus admoueri fecit. Illa verò tota mente in  
Deum absorpta, supplicium sustinebat egre-  
giè: prorsus vt Iudex constantiæ magnitudine  
victus, eam in mare lapide ad collum ligato,  
præcipitem dari iuberet. Martyre autem oran-  
te, vincula protinus dissoluta sunt; & illa sicci-  
plantis aquas inambulans, rectà ad littus maris  
tetendit. Excepit eam stupore propemodùm  
oppressus Consularis: sed mente in scelere ob-  
durata, Christi potentiam præstigijs adscribès,  
ilicò præstò iubet esse rotam, ignitis in circui-  
tu carbonibus munitam, martyremque in ea,  
vinctis post tergum manibus, torqueri, vt con-  
tritis paulatim membris cum graui dolore è  
vita excederet. Et quidem machina dicto ci-  
tius perfecta fuit: sed superno auxilio citius  
dissipata. Nam Angelus Domini, extincta pri-  
mùm carbonum flamma, robur carnicum dis-  
soluit, ità vt, admotis nequidquàm manibus,  
eam circumagere nequirent.

*Horrendum  
supplicium  
c. alitum im-  
pediunt.*

*Vngues &  
dentes ei e-  
uelluntur.*

Hinc animo perplexus & consilij ignarus  
Iudex, frendens manuum pedumque vngues ei  
euelli, dentesque crudelitate immani, extrahi  
iussit. Deinde purum eius corpus probro affi-  
cere cogitans sceleratus, ad ministros conuer-  
sus: Ite, inquit, & in excelsum eam deducite lo-  
cum: & chorum impudicorum ex finitima re-  
gione per præcones auocate: qui eam probro,  
quo digna est, efficiant. At illa nihil vel suppli-  
ciorum immanitate, vel ludibrijs fatigata: Ad-  
est, inquit, mihi Christus, qui solo nutu omnia  
dissipare potest: qui etià hodie, tuis, ô prophane,

ne, dispersis dissipatisque consilijs, meam suscipiet animam. Hæc cum dixisset, fusa ad Christum cum admiranda pietate oratione, spiritum tradidit.

*Inter preces suum Christo tradit Spiritum.*

Consularis autem qui post eius mortem, immortalem apud se alere volebat insaniam, ut Christianos reliquiarum diuitijs & gloria priuaret, corpus eius sacco cum arenæ pondere infutum, in vndas maris præcipitari iubet. Sed Christo illud toto triduo in mari illæsum seruante, tandem propinquæ cuidam appulit terra: vbi Claudius, vir quidam moribus mitis ac moderatus, cuius, ab infantia sancta virgo, disciplinis enutrita fuerat, illud sustulit: & rapim extracto sepulchro cum debita veneratione, condidit.

*Corpus eius non potest submergi.*

*Sepelitur.*

**VITA S. MARCELLINI RAVENNATIS** Archiepiscopi. Ex ea quam Hieronymus Rubens vir doctus. Historiarum Rauennatum lib. 1. conscripsit anno 230.

*Teste C. Baron. in Notat. ad Martyr. Rom. 5. Octob. Marcellinus succedit Agapito. Sedii 47. annis.*

**A** GAPITO Rauennatum decimo Archiepiscopo, Marcellinus successit, trigessimum circiter annum supra ducentissimum ab ortu Christi: Urbano Romanæ sedis pontificiam administrante dignitate. Qui Marcellinus quadraginta & septem annis, tanta sanctitate atque innocetia Rauennati Ecclesiæ præfuit, ut sola opinione homines à maleficio deterreret, & ad leges diuinas seruandas colendasque inflàmaret. Sæpius cacodemonum furorem (tanta in illo fuit magnitudo & præstantia benignitatis diuinæ) nullo labore compressit.

*Compressit demones.*

G Cum